



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1606. usque ad annum 1610

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1776

VD18 90118820

§. 34. Bartholomæi Farratini Cardinalis decessus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67222](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67222)

Sæc. XVII. Romam evocatus, variis Congregatio-
A. C. 1606. nibus & gravissimis Ecclesiæ negotiis
 præfectus est, semperque morum integritate, rerum civilium usu, ingenio eloquentia, & recondita Sacrarum literarum doctrina ac monumentis conspicuus florensque, optimi & utilissimi Senatoris partes quoad vixit, Romæ adimplevit. Tandem vero annuente Clemente VIII. ad Prænestinum Episcopatum promotus, Romæ religiosissime, ut vixit, mortuus est die vigesima quarta Maji anno ætatis suæ septuagesimo sexto: Corpus ejus primo in æde Divi Marci tumulatum, Veronam postea translatum est. Scripsit ultra centum & viginti opuscula latino sermone præter undeviginti dialogos *de æstivo canis ortu diebus canicularibus*: Edidit alia quamplurima tum latina tum vernacula lingua, quorum argumentum nullum aliud est, nisi vel de rebus sacris vel ad morès componendos pertinentibus: Horum omnium catalogum exhibet Augustinus Oldoinus ad calcem vitæ Valerii Cardinalis.

§. XXXIV.

*Bartholomæi Farratini Cardinalis
 decessus.*

Postre-

Sæc. XVII.
A. C. 1606.
Postremus inter Purpuratos, qui hunc annum sibi exitialem habebant, erat Bartholomæus Farratinus Amariæ in Umbria clarissimis ortus parentibus. Is adhuc juvenis Romam se contulit, ubi in Aula Romana versatissimus nonnisi virtutum ac meritorum commendatione pluribus dignitatum honoribus augebatur, atque anno Christi millesimo quingentesimo sexagesimo secundo die nona Mensis Octobris Amerinus Præsul renuntiatur, quam Ecclesiam cum per novem annos rexisset, annuente Pontifice dimisit, factus Cancellariæ Regens, ac Signaturæ, ut vocant, utriusque Præses. Consenuerat in hise muneribus, cumque propior sepulcro videretur, a Paulo V. die undecima Septembris hoc anno Presbyter Cardinalis nominatur, in qua tamen dignitate vix quinquagesimum secundum diem expleverat, Romæ die prima mensis Novembris anno ætatis suæ sexagesimo nono mortuus. Erat divitiis abundans, quas ejus Nepotes, quibus eas reliquerat, funditus everterunt, sumptuosæ tamen ædes ab eo ædificatæ in Collegium de Propaganda fide conversæ fuerunt.

§. XXXV.